UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Nicolai Cavssini Trecensis E Societate Iesv, De Eloqventia Sacra Et Hvmana

Caussin, Nicolas

Coloniae Agrippinae, 1626

Pancarpia Venatio. Descriptio CLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-68724

Visual Library

I T E M.

Expreſſum ex varijs Græcorum, & Latinorum ſenſibus.

NOn conuiuium dixiſſes, ſed amphitheatrum quoddam voluptatum, in quod omnes ſenſuum cupiditates de palma decertaturæ conuenerant. Primum quidem ad oculi laſciuientis delicias, compoſita cœnatio quicquid auri, argenti, & margaritarum vſquam fuit, partim in vaſis, partim in ſimulachris, partim etiam in parietum ornamentis expendiſſe videbatur, qui licet toti auro, ac gemmis collucerent, & parietum ſplendori pauimentorum reſponderet nitor, nihil tamen laqueari fuit admirabilius, quippe in lucentis globi teſtudinem ad cœli ſpeciem fornicatum, noctes, dieſque mouebatur, varias identidem micantium ſyderum formas, & cœleſtia ſimulachra, non ſine magna admiratione referens: & ne quid perfuſis hac delectatione oculis vacarent nares, arcanis ex inde fiſtulis emiſſa balſama, conuiuas gratiſſimo omnium ſpectaculo reſpergebant. Ad aurium oblectationem tres chori compoſiti fuerunt, quorum vnus nympharum fuit, alter Apollinis, & Muſarum, tales enim ſibi vultus pueri Symphoniaci ſumpſerant, tertius ex auiculis conſtabat, quæ ſtatis legibus quaſi iuſſæ mellitiſſimos temperabant cantus.

Suæ quidem, & tactui voluptates, fuerunt: ſed guſtui primas omnes deferebant. Is enim vt expleretur, bellum cœlo, terris, & mari, ad internecionem vſque fuerat indictum, vt ex omnibus elementorum ſpolijs vna menſa conſurgeret. Itaque duo lectiſſima auium, ſeptem verò piſcium millia ordine alphabetico per vices, in vno conuiuio ſunt allata. inter quæ prodigioſa patina, nouo genere luxuriæ conſecrata, in qua Scarorum iecinora, Phaſianorum, & Pauonum cerebella, linguæ Phœnicopterorum, Murenarum lactes, à Carpathio vſque, fretoque Hiſpaniæ per nauarchos, & triremes petitarum.

Additæ proh nefas! aues humani ſermonis dociles, vt inter cætera ciborum portenta imitatio hominis manderetur. Aurei præterea panes, atque aurea obſonia, & ingens vis margaritarum aceto ſubacta delicatiſſimis pulmentis aſpergebatur, ne quid ad luxus nepotinos deeſſe videretur. Miniſtrabant pueri, & virgines ex omni pulchritudine delecti, pro Dijs, Deabuſque ornati, interdum etiam menſæ arcanis rotulis incitatæ ſuopte nutu ad manus epulantium accedere, ad aliquod deinde tempus ſubſiſtere, mox dilabi, atque diffluere videbantur. Additi erant Pincernæ aurei, & cryſtallini, quorum alij myrrhatum vinum, alij calidam, alij etiam frigidam temperabant. Inter hæc ſpectacula ſedebant omnes conuiuæ coronati, marcidi, ebrij, non tam vino, quam delicijs.

PANCARPIA VENATIO.

Deſcriptio CLIII.

NEc mora totus circus varijs arboribus conſitus in ſpeciem viridiſſimi nemoris viſus eſt: Concluſi deinde varij belluarum, partim ferarum, partim etiam cicurum greges, quos in id muneris vndique conquiſitos munificentia ſolers aluerat. Mox direptioni condictus dies, qui vbi primum illuxit omnium votis expetitus, venatores, partim pedites, latis armati venabulis, partim etiam equites omnes numeroſo canum agmine ſtipati præſto ſunt: ſpes quoque potiundæ prędæ, nonnullas è mulieribus viragines, & ephebos militariter armatos effuderat. Intenti omnes ſignum expectabant, cum inſano clangore tubæ perſonuerunt: ad hunc ſonum inſtar rapidiſſimi fluminis effuſi in ſyluam inuolant: varia tum oboritur certaminis ſpecies, quippe cum pernicibus curſu, dolo cum aſtutis, ferro cum robuſtis, ad internecionem vſque varie dimicatur. Hinc cerui fugaces per abrupta nemoris concitatiſſimis pedibus feruntur, illinc lepores acerrimam canum vim fugitantes, ſexcentos flexus, & Mæandros implicant. Hinc animoſi leones, non viribus defecti, ſed multitudine obruti, inter cruenta venabula generoſas animas excutiunt. Illinc apri rabido furore præcipites induunt ferrum: & ſi quando, vt ſæpe fit, dominantur feræ, cruentos mortalium artus, aut incurſantes obterunt, aut rabidis faucibus inſultantes dilacerant; Parte alia trahuntur cicures minori diſpendio, ſed inter ipſas trahentium manus membratim diſcerptæ euaneſcunt.

Vide Calpurn ij verſus. Hic niueos lepores, & non ſine cornibus apros, &c.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cæſis belluis rapina conuertitur in arbores, quæ radicitus euulſæ à valentiſſimis brachijs exportantur: hic quæ frondens ſylua fuerat, campus eſt permixtus hominum, & ferarum cadaueribus, & cruentis arborum ſtragibus oppletus.

LVCTA.

Philoſtrat. in amoribus.

Deſcriptio CLIV.

Λέξω καὶ τὴν πάλην. καὶ γὰρ τοῦτο ἐκλιπαρεῖς. ὁ μὲν ἥρηκε τὸν ἀντίπαλον, περιπτὰς αὐτῷ κατὰ τῶν νώτων, καὶ εἰς πνῖγμα ἀπολαμβάνει, καὶ καταδεῖ τοῖς σκέλεσιν. ὁ δὲ, οὔτε ἀπαγορεύει, καὶ ὀρθὸς ὑπανίσταται, καὶ διαλύει τὴν χεῖρα, ὑφ' ἧς ἄγχεται, στρεβλώσας ἕνα τῶν δακτύλων. μεθ' ὃν, οὐκέτι οἱ λοιποὶ ἔχουσιν, οὐδὲ εἰσὶν ἐν τῷ ἀπρίξ. ἀλγεῖ δὲ στρεβλούμενος, καὶ κατεσθίει τοῦ παλαιστοῦ τὸ οὖς. ὅθεν δυσχεραίνουσιν οἱ θεώμενοι τῶν ἐρώτων, ὡς ἀδικοῦντι, καὶ ἐκπαλαίοντι. καὶ μήλοις αὐτὸν καταλιθοῦσι.

DIcam luctam, quando & hoc deprecaris. Hic quidem aduerſarium ſuperauit, & in eius dorſum inuolans arripit, vt ſuffocet, iamque cruribus illaqueat. Hic vero, neque deficit, & rectus aſſurgit, manumque, qua angitur diſſoluit, vnum de digitis reflectens, poſt quem non amplius reliqui tenaciter continent. Dolet enim contortus, & luctatoris aurem mordet. Vnde ſpectantes indignantur cupidines, quòd, & iniquè, & præter luctantium morem faciat, pomiſque ipſum appetunt.

TRIVMPHVS.

Curtius, lib. 9.

IGitur (vt ſupra dictum eſt) æmulatus Patris Liberi, non gloriam ſolum, quam ex illis gentibus deportauerat, ſed etiam famam, ſiue ille triumphus fuit ab eo, primum inſtitutus, ſiue bacchantium luſus. Statuit imitari, animo ſuper humanum faſtigium elato. Vicos per quos iter erat, floribus, coroniſque ſterni iubet. Liminibus ædium, crateras vino repletos, & alia eximiæ magnitudinis vaſa colligi. Vehicula deinde conſtrata, vt plures capere milites poſſent, tabernaculorum in modum ornari, alia candidis velis, alia veſte pretioſa Primi ibant amici, & cohors regia, varijs redimita floribus, coroniſque. Alibi tubicinum cantus, alibi lyræ ſonus audiebatur. Item in vehiculis pro copia cuiuſque adornatis comeſſabundus exercitus, armis, quæ maximè decora erant, circumpendentibus, ipſum, conuiuaſcum curtus vehebat, crateris aureis, eiuſdemque materiæ ingentibus poculis prægrauis. Hoc modo per dies ſeptem bacchabundum agmen inceſſit.

Romanorum triumphos, quia prolixiùs deſcripti ab hiſtoricis, & cuique noti, lubens omitto.

Finis Libri Vndecimi.

DE